

in Apoc. Addo Martyrologium Romanum, quod ad d. VI.
Maii affirmat, Ioannem ab Epheso Domitianus iussu uinctum.
Romam perductum, et, Senatu iudicante, ante portam
Latinam in olei feruentis dolium missum. At illam in fer-
uens oleum immissionem, quam temere in dubium uocat
Spanhemius, mox excepit relegatio. Quod nos docet
Tertullianus, de Praescript. Haeret. cap. XXXVI. cuius haec
sunt uerba. *Si talia adiaces, habes Romam, unde nobis quoque au-
toritas praefeo est. Ita quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam
Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni Domi-
nicae adaequatur. Vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: Vbi A-
postolus Ioannes postea quam in oleum igneum demersus nibil pas-
sus est, in insulam relegatur. Non possum ergo satis demi-
rari, Hentenium, posthabitum tot ueterum testimoniorum,
hanc in insulam relegationem Neroni vindicare potuisse.*
In quem non immerito insurgit Stephanus Le Moyne, in
Not. ad Var. Sacr. p. 1019. seqq. et si Versionem Syriacam ab-
errore liberare uelit impacto. Putat enim Syriacam Versionem
per Neronem intellexisse Domitianum, qui *alter Nero* appellatus est. Quae ne frustra affirmasse uideatur, afferit *quaedam*
testimonia Iuuenalis, Aulonii, Tertulliani, ex quibus pa-
tet, Domitianum Neronis uenisse nomine, quibus addit
Auctorem Arabem uitae Ioannis, cui ille, a quo liberatus est
Ioannes, nominatur نيرو باروس Nero parvus, in quo
ramen hallucinatum illum esse contendit, siquidem Ioannes
sub Nerua demum in libertatem sit restitutus. Ingeniosa est,
fateor, haec sententia, sed uereor, ita solida sit, ut non aliquam
patiatur dubitationem. Etenim in istiusmodi inscriptionibus
uocum quam maxime amare proprietatem solemus, si quando
circumstantias attingimus historicas, quae nudam faciem,
uultumque postulant. Testimonia, quae afferuntur, nondum
*euincunt, Domitianum, absque temperamento, nomi-
natum esse Neronem. Vtrique enim et Iuuenali, et Ausonio,*
*Nero nominatur Caluus. Tertulliani uero lectio, qua *portio Ne-
ronis* dicitur, minime erat fugillanda, quam Eusebius, scriptor*

C 2

gra-